



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

178. An iudex laicus possit dirimere controuersias ortas inter
Confraternitates in aliqua processione? Ex p. 3. tr. 1. r .70.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium ad petendas pro ipsis eleemosynas, gaudeant privilegio fori?

Et an mulieres Tertiaria, vulgo dicta Bizocche, gaudeant privilegio fori, & exemptione gabellarum, & cum requisitis conditionibus possint consequi legatum relictum pro Monachatu, non obstante, quod vivant in propriis domibus? Ex part. 4. tr. 1. Ref. 31.

§. 1. **A**ffirmatiue respondeo, & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die 26. Ianuar. anno 1606. Testatur Marta de iurist. part. 4. cent. 2. cas. 113. num. 37. Idem etiam docet Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quest. 7. conclus. 3. Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. num. 3. Barbosa de potestate Episcopi part. 2. alleg. 12. num. 39. Riccius part. 2. decis. 88. Grassus de effect. Cleric. effect. 1. num. 96. & alij; quos citat & sequitur Antonius de Marinis resol. quotidian. cap. 114. num. 6. qui docet num. 7. quod hi vt gaudeant privilegio fori, has conditiones debent habere. Prima, quod alicui Religioni probata eorum personam & expressam dedicationem obtulerint, & dicauerint. Secunda; quod fiat oblatio, nulla bonorum reservatione, aut eorum vsusfructus facta, ita vt in oblationis instanti omnia ad monasterium transferantur. Tertia; quod in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur. Quarta, quod perpetuo stent & seruiant Religioni. Quinta, quod modo debito Religionis portent habitum à secularibus euentius distinguentem. Ita ille. Obseruat etiam dictos oblatos quoad delicta ante oblationem commissa gaudent privilegio fori; si absque fraude se & sua monasterio obtulerint, quod si fraus subsit, possunt à iudice laico puniri pena pecuniaria, non autem corporali. Ita sacra Congregatio, teste Aldano in compend. Canon. resol. tit. 10. num. 35. Non desinam hic adnotare doctrinam Martin. Bonacinae in Bulla Cœn. dista. 9. 16. sect. 1. punct. 3. n. 18. asserentis illos homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia & obsequia Monialium, ad petendas pro ipsis eleemosynas gaudere privilegio fori.

Notandum est etiam obiter me satis firmasse in part. 1. tract. 2. * resol. 84. mulieres tertiarias, vulgo dicta Bizocche, cum conditionibus ibi expressis gaudere privilegio fori, & exemptione gabellarum & hanc sententiam docet nouissime, me citato, Paulus Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. num. 42. & Antonius de Marinis ubi supra num. 11. & Nouatius de electione fori, in editione nouissima, sect. 1. 9. 66. num. 13. qui etiam num. 16. me citato, firmat dictas tertiarias cum requisitis conditionibus, id est, si castam & cœlibem vitam agant, ex voto castitatis emisso in manus Superioris Religionis posse consequi legatum relictum pro Monachatu, non obstante quod vivant in propriis domibus.

RESOL. CLXXVII.

An Confraternitates laicorum gaudeant privilegio fori, ita vt Episcopis sint subiectae?

Et quid, si in eis opera charitatis, & pietatis & exercitia spiritualia exercent, quod idem dicendum est à fortiori de Hospitalibus?

Et an bona supra dictarum Confraternitatum possint alienari sine assensu Apostolico? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 37.

§. 2. **N**egatiuam sententiam docet Aponte vol. 1. cons. 18. vbi probat confraternitates & Col-

legia, quae per laicos reguntur, dici saecularia, & licet denominentur sub nomine alicuius Sancti, vel Ecclesiae, minime dicuntur religiosa, & Episcopo subiecta. Idem docet Vicius in addit. ad decis. 517. n. 40. & Gabriel in suis commun. opin. concl. 1. Tamen quando in dictis confraternitatibus exercentur opera charitatis & pietatis, & exercitia spiritualia, puta, quia sunt ibi destinata aliqua bona in alimoniam pauperum, vel infirmorum, aut in redemptionem captiuorum, pauperumque nuptias, & alia huiusmodi, existimo esse loca pia. Nec obstat quod non fuerint erecta auctoritate Episcopi, nam ex exercitio operum charitatis, & pietatis negari nequit, quin non debeant appellari pia, nec enim necesse est, quod locus sit pius sed sufficit quod in eo opera pietatis exercentur, quia hoc privilegium non datur loco, sed causae, & ideo bona supradictarum confraternitatum non possunt alienari sine assensu Apostolico: vnde hanc affirmatiuam sententiam ex multis aliis rationibus docet Nouarius tract. de elect. fori, sect. 2. 9. 56. n. 8. Riccius in praxi tom. 3. resol. 142. Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 64. & alij penes ipsos, asserentes dictas confraternitates esse loca pia. Vnde infert Nouarius n. 13. quod vbi tales confraternitates sunt adaptatae ad pias exercendas causas, debent restitutionem in integrum, etsi auctoritate Episcoporum non sint fundata, sufficit enim vt in eis charitatis opera exercentur. Vide etiam Barbosa de potestate Episcopi, part. 3. allegat. 71. num. 38. quae omnia à fortiori procedunt in Hospitalibus, licet non fuerint erecta auctoritate Episcopi, vt firmat idem Nouarius c. 54. per totum, & alij penes ipsum.

RESOL. CLXXVIII.

An index laicus possit dirimere controuersias ortas inter Confraternitates in aliqua processione? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 70.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet noster D. Carolus de Grassis de effectibus clericatus eff. 1. n. 613. vbi sic ait, quoad locum incedendi in processibus, vt si debet incedere in quarto, vel in quinto loco, in talibus namque controuersis est index Illustrissimus Senatus huius Urbis, qui summariè, & absque visione scripturarum, solet causas istas terminare, & cognita differentia statim causam terminat: quando autem est differentia an aliquis sit bene, vel male cancellatus à Societatibus, & confraternitatibus, vel sit recipiendus, vel non, vel an sit canonicè quis electus ad gubernium, & administrationem, tales, & similes controuersiae dirimuntur per Archiepiscopum, vel suum Vicarium. Ita ille.

2. Sed obseruat Barbosa de potestate Episcopi, part. 2. alleg. 78. n. 40. quod quamuis haec Caroli de Grassis sententia circa primum membrum videri possit tolerabilis, quando agitur de iudicio possessorio, tamen extra illud non est admitenda, sed potius dicendum est ad iudicem Ecclesiasticum dictas controuersias pertinere dirimere, quae essent inter dictas laicorum confraternitates circa modum procedendi, vel circa habitum, vel quid simile. Sic Barbosa.

RESOL. CLXXIX.

An sint exempti ab onere hospitandi Patres, & fratres Clericorum, dum vna simul habitant?

Et notatur Magistratus saeculares non posse hospitari facere Milites in domibus Ecclesiasticarum personarum

Sup. hoc supra in Ref. 163. ex doctrina §. Nota, signanter ad medium. * Quae hic est Res. antecedens, sed pro privilegio fori tantum, & non pro exemptione gabellarum, & in alio §. eius not. 1. Sup. hoc in Ref. praetor. ta. §. vlt. & in rom. 7. tr. 1. Ref. 152. & in alio §. eius annot.

Sup. hoc supra in Ref. 173.